



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

De S. Avgvstino Sermo, in ejus festo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**

## DE S. AVGVSTINO

## Sermo, in ejus festo.



Quoniam temporis, quod nobis, de præclaris D. Augustini virtutibus, ad dicendum datur, habenda est ratio diligenter; omissis ceteris, eam tantum persequemur, cujus similitudinem, in nobis, qui ad eundem modum quo ille peccavimus, si salvi esse volumus, exprimamus oportet. Hæc autem est admirabilis ejus conversio ad Deum. Hanc igitur admemus, hanc persequamur, amplectamur, exornemus. Ad quam cuivis, qui ejus cupiditate studioque exarserit, liceat pervenire. Nam, si conemur summis in cælum laudibus efferre ejus ingenii magnitudinem, doctrinæ varietatem, multiplicem rerum pene omnium scientiam; totus laudis hujus fructus in eo consistet, nihil autem ex illo ad nos redundabit: atque, ut omnia conemur, nullo modo, ejus nos similes esse, continget; quod ea, in quibus ille excellit, dona sunt Dei, quæ, suo ex arbitrio, cui vult, ipse largitur, neque sunt ejusmodi, ut sine iis non possit salus æterna consistere. Nam, si divinis mandatis obtemperaverimus, neque quidquam doctrinæ attigerimus, non ideo minus salvi futuri sumus. Immo compluribus, à quibus, tanquam à capite, omnium doctrinarum fluentia decurrunt, tantavis sapientiæ, qua abundabant, æternæ damnationis causam invenit. Nam, cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.

Gerebant illi pectus, omnium scientiarum copia refertum, sed in omnium etiam vitiorum turpitudinis luto demersi jacebant. Id quod etiam Augustinus sua confessione expressit, qui verum, contra se ipsum, testimonium dicens: Surgunt, ait, indocti, & cælum rapiunt; & nos, cum doctrinis nostris, volutamur in carne & sanguine. Quo ex cœno cum conaretur emergere, non objiciebat sibi ante oculos præstanti sapientia viros, non philosophos, non oratores; sed pueros, puellas, viduas, aliosque omnis plane eruditionis expertes homines constituebat, qui respuerunt omnes voluptates, neque à studio continentia, cupiditatis æstu, abreptos, ad aliquem libidinis scopulum se passi sunt abstrahi. Cum acri ac vehementi adversus se ira efferebatur, non eas illi iracundia faces admovebat dolor, quod aliquid nesciret, cujus esset sciendi cupidus; sed quia aditum invenire non posset, unde ex nequitia flagitioque pedem foras efferret: atque hanc ad Deum orationem habebat; Fremebam spiritu, indignans, quod non irem in placitum & pactum tuum, Deus meus. Conversionem suam ad Deum, pacti ac foederis nomine afficit: quo etiam vocabulo eam Climacus appellavit; qui, plures conversionis definitiones afferens, hanc in primis enumerat, quod conversio sit pactum, quod facit anima cum Deo, bene vivendi, sicut male antea vixit; ut nimirum, quam antea operam, diligentiam, atque conatum, ad peccata perpetranda contulerat, eundem ad divina imperia persequenda convertat. quod, D. Paulus, leve admodum, nec satis divina majestati dignum existimat; cui perinde obsequi, ut ille meretur, ejusque in

nos

nos merita postulant, non humanarum, non Angelicarum est virium, quæ certis quibusdam finibus continentur, Dei autem majestas amplitudoque nullis terminis circumscribitur. sed cum modus nobis ille à Paulo perscribatur, illis verbis, Sicut exhibuistis membra vestra, servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra, servire justitiæ in sanctificationem; imbecillitas ab eo nostra in consilium adhibita est. Ac præclare nobiscum ageretur, si, ad mensuræ eandem rationem, divinis imperiis serviremus, ad quam, cupiditatibus nostris, mundo, ac Dæmoni, obsecundavimus. Deinde, cum conversio nostra, fœderis cum Deo & pacti signata nomine sit, quanti Deus hominem faciat, quo eum loco ac numero habeat, mire colligitur: quem ut amicum habeat, non dedignatur cum eo ad pactiones conventionesque venire; in quo videtur eum sibi parem facere, ac velle æquo cum ipso jure certare. Summus igitur cæli terræque imperator ac Dominus Deus, usque adeo homini, quem creavit, quem, puncto temporis, potest unico oris sui spiritu difflare si velit, atque ad eos terminos, unde evocatus est, ad nihilum nempe, redigere; usque adeo, inquam, illi suum amorem ac benevolentiam præstat, usque adeo honorem habet, ut non dubitet, neque sibi indecorum existimet, cum eo pacisci atque decidere; quod fieri, nisi inter sortis ejusdem homines condicionisque, non solet. At tu felix ac sancte peccator, qui, conversus ad Deum, tam pulchra pactione, redisti cum illo in gratiam, quoniam converti ad Dominum, nihil aliud definis esse, nisi, recte vivendi, cum illo pactionem inire; obsecro

te, ut nobis ostendas, quid sit recte vivere: idque quam paucis potest verbis, ut memoriae mandare possimus, expedias. Atque ille huic nostro studio satisfacit, in expositione inchoata Epistolae D. Pauli ad Rom. ubi docet, recte vivendi rationem duabus rebus maxime contineri: primum, non in se amare, nisi quod Dei est; deinde, odisse, quod proprium est nostrum. Bene doces. sed alterum etiam expedi: quidnam est id, quod ita totum est Dei, ut nulla ejus pars ad alium pertineat, quodque nos singulari quodam amore prosequi ac completi jubemur? Huic etiam postulati nostro occurrit; atque, veritatem illud esse, respondet; nempe Deum ipsum; quo etiam nomine se Christus, qui Deus est verus, appellat, cum inquit, Ego sum veritas. & Io. Apostolus, scribens ad Cajum, quem ipsi, divinae nexus caritatis obstrinxerat, ait, Senior Cajo carissimo, quem ego diligo in veritate. quod perinde est, ac si dixisset, quem ego diligo in Deo. Totum igitur, quod est in Deo, veritas est; cetera extra illum omnia, vanitas mera, atque mendacium. Quod adeo verum est, ut David, nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil quod magis, veram ejus felicitatem contineat, esse judicet, quam si oculos, stomachans, à rebus istis inanissimis mendacissimisque avertat, nec eas videre sustineat, ad quas alii, amentibus similes, incitato studio feruntur. Beatus, inquit, qui non respexit in vanitates & insanias falsas. Verum, divina haec veritas, quae nihil est aliud nisi ipsemet Deus, quo totos eidem nos dedere, in eoque omnia nostra ponere & consecrare possimus, aliquam sui in nobis notitiam efflagitat. nihil enim diligi ex animo potest,

test, quod intelligentiam nostram effugiat. Atque, ad rem quod attinet, ad Dei cognitionem duplex nos ratio, tanquam via, perducit. primum, humanæ intelligentiæ vis, qua, & Deum esse, & ejus providentia mundum administrari, eundemque consulere rebus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis, firmiter credimus, iis rationibus, quas Theologorum schola docte atque scienter enumerat. tum, suavitas, ac voluptas, quæ ex ejus consuetudine usque percipitur: unde illa ejus vox & oratio, Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Prima illa cognitione, quamvis peccator, ad Deum diligendum, adigi impellique se sentiat, quoniam magnam in animis nostris veritas percepta vim habet, tamen vel nunquam eum diligit, vel diem ex die, quo id faciat, ducet. In hac mora se olim fuisse fatetur Augustinus; qui flens, Non erat, inquit, jam ulla excusatio, qua videri mihi solebam, propterea nondum contempto sæculo servire tibi, quia incerta mihi esset perceptio veritatis. Neque quidquam, quod responderet, habebat, nisi, ut tempus ad eam rem posceret, & longiores sibi in dies moras, his verbis, adnecteret: Modo, ecce modo; sine paulum: & hoc, modo, non habebat modum; & sine paulum, in longum ibat. Ne multa, in eadem pravitate perversitateque versabatur, qua non parum multi ex nobis detinentur; qui ad omittendas omnes voluptates, ad relinquenda studia delectationis, ludos, jocos, tempestiva convivia, adolescentiæ & juventutis tempus exoptulant, conversionem autem ad Deum, in firmam ætatem, vel potius in senectam seniumque, rejiciunt; existimantes, cum adolescen-

tia cupiditates deferbuissent, atque ipsi voluptatibus animum exsaturassent, se posse eas, satietate, abjicere, & experiendo contemnere. Qua etiam mente erat Augustinus, qui, Malebam, ait, concupiscentia morbum expleri, qua extinguui. Malebat videlicet sua eum quasi senectute confectum occidere, quam aliquam, ad eum depellendum, medicinam adhibere; tanquam si sit aliquis morbus, praesertim lethalis, qui sua sponte, nulla adhibita cura, sanetur; vel, si quispiam vincus, tum magis ex catenis, quibus vincus detinetur, eximatur, quo se illis arctius implicet. Immo, qui conversionem suam in diem, qua nihil est incertius, differunt, in eas, Gregorius inquit, plagas se induunt, eos sibi cancellos circumdant, in eum se carcerem condunt, a se ipsis instructum, unde cum libeat egredi, omnes sibi ad exeundem aditus obstructos & interclusos inveniunt. Atque hanc esse Iobi illius dicti sententiam affirmat: Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat. Sed Gregorium ipsum, longe ad id aptius, quam nos, copiosius, elegantiusque loquentem, audiamus: Sape nonnulli a pravis actibus exire cupiunt, sed, mala consuetudinis carcere inclusi, a semet ipsis exire non possunt. Neque, ad hujus doctrinae veritatem confirmandam, nobis abeundum est longius; sed in Augustino, de quo referre coepimus, commorabimur. Qui castitatis pulcritudine captus, tantam virtutis speciem, a Deo, in gratia postulabat; ex altera vero parte, timore, omnium maximo, afficiebatur; illud metuens, ne Deus praesto ipsi esset in optatis ac votis; adeo ut mortis sibi instar esse putaret, a libidinibus liberari. ita enim ipsemet, ad meliora

liora studia conversus, Deo fatetur: Postulabam continentiam; & timebam, ne me exaudires; & quasi mortem reformidabam, restringi à fluxu consuetudinis. Si igitur tam male sibi consulunt, qui in re tanta, cum sit opus properato, cunctantur, &, ad conversionem ad Deum, suam caniciem deligunt; quanto perniciosius de se merentur ii, qui rem istam, qua potissimum aeterna ipsorum salus continetur, in extremum vitæ spiritum differunt! Vni tantum, id ex sententia evenisse narratur: quod etiam, nisi nobis Christi ipsius voce comperatum esset; quem constat illi dixisse, Hodie mecum eris in paradiso; vix credibile videretur. uni, inquam, soli, res tanta processit in numerum; aliis omnibus aspere, foede, & infelicitè cessit. &, si quispiam est, cui id fortasse non male ceciderit, hic omnino nos latet; vel, si aliquis extitisse dicatur, nostri arbitrii res est, id verum esse putare, neque ad credendum, sicut de sancto illo latrone, ea, quam profitemur, fide compellimur. At quanto fecerimus sapientius, si rem tantam, tam feriam, tam gravem, tam necessariam, statim aggrediamur, ac, cunctantibus nobis, iisdem dictis, segnitiam nostram compellamus, quibus Augustinus suam verberabat: *Quam diu cras cras? quare non hac hora, finis turpitudinis meæ? Id certum, exploratum, directum, ac planum, ad salutem est iter; illud alterum, cui plerique hominum sese committunt, ut diem ex die ducant, contortum, dubium, in præcipitia devolvit.* Altera Dei cognoscendi ratio est, aliqua sibi eum amicitia usuque devinctum habere, & suavissimos ejus mores degustare. nam fieri non poterit, quin ab eo, qui in ejus amicitiam se insinua-

verit,



verit, plus oculis suis diligatur. nihil est enim illo formosius, nihil pulcrius, nihil amabilius. quapropter, nihil impensius à nobis efflagitat, quam ut consuetudine usuque paululum experiri, qualis ipse sit, placeat. etenim non dubitat, quin, ejus dulcedine ac suavitate percepta, reliquas omnes hujus vitæ voluptates nobis in odium atq; contemptum adducamus. Non potest hominum stultitia atque perversitas, tantum explicari verbis, quantum re ipsa est. docuit jam nos usus atque experientia, quantum influat amari ad ea, quæ sensus voluptate permulcent. nostris quotidie oculis percipimus, ea quæ omnibus opibus viribusque petuntur, honores, imperia, ac popularem gloriam, in summa inanitate versari: non tam docti, quam experti, sentimus, quanta sit in mundi promissis dolus, in dictis vanitas, in factis iniquitas; & adhuc non possumus animum ab illo divellere, & ad Christum adjungere; cujus veritas manet in æternum. Sed, quod fidem mundo tantam habeamus, quod totos nos eidem frustra committamus, omnis in nobis culpa inhaeret; neque quidquam est, quod queri de illo possimus. non enim fallaciis ac dolis furtim ille ad se nos allicit, falsis promissis imbuit, in fraudem illicit; sed nihil ab eo incidit nobis mali, quod non ille antea denunciaverit. clamat, se esse deceptorem, vaftrum, mendacem; admonet, ne quidquam ipsi credamus; nam sublestam suam esse fidem, neque alia tam sibi instructa esse in corde consilia, quam quomodo nos dolis, machinis, fallaciis, præstigiisque decipiat. Omnino, nulla nobis melior Dei diligendi ratio subjicitur, quam si demus operam, ut aliquem ejus suavitatis gustum percipiamus.

mus. Multum Augustinus temporis, multum operæ studiique, in illa tam obscura tamque difficili, de Deo ejusque natura, quæstione consumpserat, nec minimam ejus cognitionem fuerat assecutus; nihilo tamen magis se ad eum diligendum adigi, attrahi, impellique sentiebat: at, ubi primum cœpit in ejus se consuetudinem insinuare, ejusque suavitatis fructu potiri, ita eum dilexit, ut vix quidquam in amore inveniri possit ardentius; eaque affectus est voluptate & gaudio, in fastidiendis abjiciendisque rebus illis, quarum tanto antea amore studioque tenebatur, ut diceret, Quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum! &, quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Alterum, quod hoc pacto, quo inter Deum & nos convenit, continetur, illud est, ut, quod proprium est nostrum, odio prosequamur. At potest videri, hoc pactum, iniquitatis non parum habere. nonne longe ab jure & ab æquitate discedat, qui postulet, sua omnia diligere, quæque sunt in altero, odio fastidioque haberi; qui alterum sua se voluntate arbitrioque abdicare compellat, contra, quidquid ipsi, qui imperat, in animum incidat, amplecti ac velle? At fortasse justa hæc querela, si quid in nobis boni inveniretur. atqui, ut, quæ sunt in nobis, omnia perquiras, nihil invenies præter ea, quæ, divini numinis impulsu, Augustinus, in codice sacrarum literarum scripta, perlegit. qui, conversioni suæ proximus, cum se abjecisset in herba, ac sub arboris, nescio cujus, umbra jaceret, vox, ejus pervenit ad aures, tanquam puellarum, canentium, Tolle lege, tolle lege. qua voce admonitus, sumpto in manus sacro divinarum rerum

volumine, casu incidit in eum locum, ubi Apostolus Romanos, ad quos scripserat, admonet, ut tenebris pulsus, ac toto caelo luce diffusa, tanquam in die, honeste ambularent, non in commestationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non in contentione & æmulatione. Hæc sunt illa egregia atque præclara, quibus nos instructos ac completos invenias; commestationes, ebrietates, in lectulis delicatis ac mollibus ocium & quies, impudiciæ, jurgia, invidiæ, obtreptiones. at, hæc nostrum ad se amorem attrahent? hæc nostra studia detinebunt? hæc nos pigebit amittere? Sed duæ præsertim causæ, nostrum ab illis odium avertunt. primum, inimiciæ acerbæ & graves, quæ suscipiendæ à nobis sunt, cum carnis illecebris & mundi blanditiis, quibus veremur ut possimus obsistere, si sint cum illis bella gerenda. etenim hostes sunt potentissimi, ad dimicandum prompti; bellum longum, atrox, acerbum: nos copiis ac viribus longo intervallo inferiores; quas si hostibus velimus opponere, cum iisque manum conferere, nobis necessario sit cadendum ac pereundum in prælio. Nimis vera sunt isthæc, si nostris opibus ac copiis sit decertandum: nam necessario succumbamus oportet. sed audite, quid Leo Magnus dicat; atque animos sumite. Cum Deo pacem, gratiæ ipsius serviendo, firmemus; ipse pro nobis omnia bella conficiet; ipse, qui dedit velle, donabit & posse, ait enim, in legibus, ex fœdere inter nos & Deum icto, statutis ac dictis, hanc in primis contineri, ut, quæcunque bella sint gerenda, ille sine ullo nostro labore periculoque conficiat. Tot adolescentuli, tot puellæ, tot alii fere innumeri, qui se à  
libidi-

libidinibus obstringi non sunt passi, sed contra eas acriter vehementerque pugnarunt, suisne viribus tam infestum hostem debellarunt? Quasi isti & istæ, idemmet Augustinus ait, in se ipsis potuerint, & non in Deo suo. quorum exemplis confirmatus, id, quod antea fieri posse negabat, non solum fieri posse, verum etiam, nihil factu facilius esse, cognovit, quam, Deo iuvante, cupiditates nostras, rationis catenis obstrictas, in potestate habere: ac vix se totum Deo permiserat, cum, divina ejusdem manu, fensit, ab arce cordis sui, hostem, à quo dominatu regio premebatur, abreptum, foras expelli, seque in libertatem vindicari, ut totum ad Dei arbitrium fingeret, neque quidquam nollet, quod ille vellet, neque vellet quod ille nollet. atque ita cum Deo loquebatur; Dextera tua, Domine, à fundo cordis mei, exhauriens abyssum corruptionis; & hoc erat totum, nolle quod volebam, & velle quod volebas. Ratio, cur plerique, à tentationibus oppugnati, demittant animos, seque ab iis vinci expugnarique permittant, ea est, quod vires suas ante oculos sibi constituunt, neque pacti, quod pepigit cum ipsis Deus, fiducia subnixi, signa cum hostibus conferunt, hoc est, Dei ipsius copiis opibusque decernunt; qui Deus, sua expectatione, nostra omnia ad se bella recepit. quid mirum est igitur, si statim deditionem faciamus, ac ne hostis quidem aspectum ferre possimus? Da te, inquit Augustinus, Deo; fidem illi habe. quid stas & non stas? projice te in eum; noli metuere; non se subtrahet ut cadas. Alterum, quod rebus nostris, ne ab illis odio abalienemur, addictos alligatosque nos habet, levis quædam ac nugatoria res est, & quasi tenue quod-

quoddam subtegmen, quod dissolvi ac dirumpi nullo negotio posset, verum magnam ad nos retinendos vim habet. cujusmodi erant illa, quibus implicabatur Augustinus; qui, Exiguus tenebar, inquit, sed tenebar tamen; retinebant me, nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ. At, quænam erant isthæc? Dimittis nos, & à momento isto non erimus tecum; & à momento isto non licebit hoc & illud ultra in æternum. Atq; istuc etiam contingit in eo, cui, cum jam fixum ac deliberatum sit, converti ad Deum, levia quædam ac nugatoria sese objiciunt, quæ id, quod bene cogitavit, factis persequi non sinunt; atque ita secum agit, & tanquam fortunas suas deplorat atque conqueritur: Ergo mihi posthac, via illa, iter facere non licebit? ergo me posthac nemo in illis regionibus conspicietur? ergo amicitiam illam tam arctam, tam caram, momento pene temporis dirimam, ac non potius, quandoquidem deferenda est, paulatim diffuam? ergo in perpetuum domo illa carebo? atque ejusmodi alia meditatur; quæ nugæ sunt meræ, ac nugæ nugarum. Verum, hæc nugæ seria ducunt. nam ædificium spirituale, recens instructum, diruunt atque prosternunt. quod in pariete, nuperrime factum, intelligi posse, Gregorius docet; quem, dum adhuc est est madidus, quilibet funis, vel tenuis, labefactare, & ad terram sternere valet; at, ubi, temporis intervallo, lateribus seu lapidibus, calcis ope, inter se arctè conglutinatis atque constrictis, se paravit in firmitatem, jam ille ficcus & validus, arieti aliisque bellicis tormentis obfistit, neque ita facile dejici potest. ac prudenter, ut omnia, idem auctor nos admonet, ne pecca-

peccatorem, modo conversum, ad eas res procurandas adhibeamus, in quibus peccavit: nam, fieri posse, ait, ut ille, ex consuetudine, quæ est altera quasi natura, nullo contrario usu plane adhuc abolita, rursus suum in ingenium immigret. Itaque, quibus libido imperavit, non statim est mulierum mandanda custodia: quos pecuniæ cupiditas, in re faciendâ, præter modum sollicitos occupatosque detinuit, non sunt ad rei pecuniariæ negocia protinus adhibendi: quos ambitionis æstus absorbit, non sunt illico in principum virorum aulas, ad negocia gerenda, mittendi. quod, involucris quasi quibusdam involutum atq; obtectum, Moyses tradere voluisse videtur, cum dixit: Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium. nam, si integumenta removeas, hanc in illis sententiam constructam, tanquam nucleum in nuce, latere reperies; nimirum, non esse eos, qui, tanquam modo geniti infantes, in Dei filiis, atque adeo ovibus, numerari cœperunt, in iis spiritualibus operibus exercendos, quæ sunt robustioris ætatis. Et quanquam Gregorius aliam Moysis verbis subesse sententiam velit, non incommode tamen eadem applicari ad id, quod dicimus, possunt. Atque hæc habui, quæ, ex Augustini conversione excepta, breviter vobis exponerem.

F I N I S.

